



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Cap. XI. Gemitus animae poenitentis pro incipientibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

**O** Fons decori luminis, (35)  
 O lux serena siderum,  
 Ignis Deus purissime,  
 Vigor perennis cordium.  
 Te voce semper, te prece,  
 Te mente gratâ, vindicem  
 Me & salutis concinam,  
 A Sole Eoo ad Hesperum.  
 Tu spes mibi, tu præmium,  
 Tu portus es fiducie;  
 Te fretus uno pertuli  
 Sortis procellam turbidæ.  
 Inter labores asperos  
 Lumen tue clementiæ,  
 Repentè fulgens, vim procul  
 Absesse jussit Tartari.  
 Salve supernum incendium,  
 Clarumque mentium jubat:  
 Ad te revertor, supplicem  
 Voca per ignes mysticos.  
 Descente flamma, illabre  
 Cœlorum ab arce fulgida,  
 Infunde cœno pectori  
 De fonte lucis lumina.  
 Cor, ossa, fibras concrema,  
 Venas, medullas, viscera,  
 Ipsamque mentem, ac spiritum,  
 Ut totus ardeam tibi.  
**O** sors beata, ô gaudium,  
 Coniuncta cum mens Numinis,  
 Et immemor rerum omnium,  
 Te diligit perenniter.  
 Summo Parenti Cœlium,  
 Natoque, & almo Flamini  
 Sit laus, decusque perpetim  
 Nunc & per omne sæculum.

C A P U T XI.  
*Gemitus animæ pœnitentis pro Incipientibus.*

**Q** UAMVIS expertis difficile non sit, propriis motibus ad Deum assurgere, possitque unusquisque ex pharetrâ sui cordis sagittas orationum depromere; ne his tamen deficiensibus pius Asceta aridus reperiatur, defective lignorum mysticus ignis in arâ cordis extinguatur: ex scripturâ, & Sanctis Patribus sylvulam

(35) *Ex libello meorem Carminum nondum impresso.*

Aspirationum collegi, pro triplici statu Incipientium, Proficientium, & perfectorum; in quarum usu & praxi quid servandum sit, jam supra explicatum est. Habet hic eas in varias decaes distributas, quò facilius valeant memoriae mandari: cui studio aliquot dies tribuendi sunt. Quid enim prodest multas Aspirationes in libello descriptas habere, nisi etiam memoriae inscripta, imò & insculpta sint, ut in promptu habeantur omni horâ, & memento? Propono autem primo loco gemitus animæ pœnitentis, naturæ, & doctrinæ ordinem sequutus: quia, ut perveniamus ad id quod nondum sumus, purgare primò id quod sumus, & lacrymis eluere debemus.

## D E C A S. I.

1. **D** Omne Deus meus, ego vilissimus sum peccator; indignus planè, quem terra sustinet. Miserere mei, & salva me.
2. Domine, qui es summum bonum meum, quād longè per peccatum recessi à te, & habitō in regione hāc longinquā misericarum, ubi perdi di me.
3. Pater amantissime, peccavi in cœlum & coram te, verò non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro sicut unum de mercenariis tuis.
4. O quād pœnitet me peccasse, dulcissime Deus, quād pœnitet me, quod legem tuam transgressi sum: amplius lava me ab iniuritate mē, & à peccato meo munda me.
5. Domine Deus meus dexter peccata mea, abominor universa flagitia mea, confiteor ingratitudinem meam, & configio ad aram misericordiæ tuæ.
6. Ablue me Christe Jesu pretioso sanguine tuo, & munda me ab omni peccato.
7. Sana Domine animam meam peccatis vulneratam, unge oleo gratiæ tuæ cicatrices delictorum meorum, ne quæso despicias me.
8. Domine Deus piissime, ab hāc horâ nunquam transgrediar legem tuam, nunquam amplius consentire volo in aliquid peccatum: malo incurrire omnem pœnam, omnem infamiam, atque ipsam mortem, quād deinceps peccare.
9. O Pater amantissime, da mihi ut faciam fructus dignos pœnitentiae, & puniam delicta mea debitâ castigatione.
10. Erravi sicut ovis quæ perierat, audio tamen



tamen dulcissimam vocem tuam: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen ad me revertere & ego suscipiam te.

## D E C A S II.

1. **N**unc cœpi, Domine, nunc vivere incipio, non in fortitudine mœa, neque in virtute brachii mei, sed in multitudine miserationum tuarum: confirma hoc tu, quod operatus es in me.

2. Tu, Domine, integros sensus & cor docile tribuisti mihi: sed heu me miserum & infelitem, quia omnibus bonis tuis abusus sum! Tu verò Pater misericors peccantem revocâsti, & à pœnis inferni liberasti.

3. Doleo & angor vehementer ob innumera peccata mea, quibus te benignissimum Redemptorem offendit, diaboli servum me feci, indignationem tuam provocavi.

4. O si nunquam, Amantissime Pater, præcepta tua transgressus essem! o si nunquam in tantam miseriariam, & calamitatem incidissem! o si nunquam peccasset! o illos felices, qui innocentiam non perdiderunt, qui baptismatis gratiam illibatam custodierunt.

5. Statuo, summe Deus, imposterum non peccare: firmissimè propono tua sanctissima præcepta non transgredi; verè & ex corde decerno cum adjutorio gratiæ tuæ universam legem implere.

6. Respice in me, Domine, oculis misericordiæ tuæ, dele præterita peccata mea, concede mihi per bonitatem tuam gratiam emendationis.

7. O quanta fuit hactenus ignavia mea! tempus ad poenitentiam concessum perdidì, gratiam & auxilia rejeci, vocibus tuis, quibus me vocabas, obsurdi: & nunc, Domine, quid faciam? Poenitet me peccasse, miserere mei.

8. Eheu Domine Deus, quanta sunt vulnera mea; quanta infirmitas, & pravitas mea, pro quibus sanandis crucifixus es & occisus.

9. Deus propitius esto mihi peccatori: Jesu filii Dei vivi miserere mei.

10. Dominator vitæ meæ, ecce vides, quia non est in me bonum, nec sanitas animæ meæ: miser & cœcus sum, nihil possum, nihil sum sine te.

## D E C A S III.

1. **O** Salvator piissime, tu scis quot mala commisi, quot bona omisi: propitius esto mihi, & salva me.

2. O magna domus Dei, quām vilis mihi fuisti, & quām turpiter te pro nihilo contempsi!

3. O quām justè me in infernum detrudere poteras, justissime judex, & mihi clementer percisi.

4. Confiteor, Domine, me omnium quos mundus habet vitiosissimum esse; sed nihilominus in immensâ confido bonitate tuâ. Et si sunt super numerum peccata mea, non est etiam numerus misericordiæ tuæ.

5. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

6. Deus meus, misericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi virtutes amplecti, vitia rejicere, terrena calcare, cœlestia fitire.

7. Væ tempori illi, quando te non cognoscet summi bonum animæ meæ: vae cœtati illi, quando te non videbam.

8. Domine Deus meus, quando plenè mihi moriar, & tibi vivam! quando me ab omnibus rebus terrenis expediam! quando sensus meos & affectus plenè cohibebo, & quidquid est in me vitiosum frænabo?

9. O si jam mundum contemnerem! o si terrena calcarem! o si quod amant mundani pro nihilo ducerem!

10. Utinam ab omni vitio purgatus, & ab omni inordinata affectione emundatus divino ilapsu dignus essem, & celestium charismatibus gratiarum.

## D E C A S IV.

1. **M**ortifica, Domine, passiones meas, cohibe illas, & moderare amore & præsentia tuâ, ne me perturbent; sed magis ad id juvent, cuius gratiæ eas dedisti, ad bonas scilicet operationes.

2. Amove à corde meo inanes cogitationes, & verear illud evolvere in conclavi animæ meæ, ubi tu habitas, quod, si ad notitiam hominum venturum esset, cogitare erubescerem.

3. Vilescat mihi, Domine, omnis creatura, & nihil mihi placeat, nisi tú.

R. 3

4. Dul-

4. Dulcis Jesu, quam amabilis est gratia tua, quam suavis amicitia tua? ne quæso abjicias me propter peccata mea.

5. Ne projicias me Deus à facie tuâ, accelerâ precor, & sensus meos erue citô de luto fœcis.

6. Ablue me, Domine, pretioso sanguine tuo, fana me vulneribus tuis, sanctifica me amarissimâ passione & morte tuâ.

7. Qui plasmasti me, & per crucem tuam redemisti mundum, adjuva me, & miserere mei.

8. Aperi mihi viscera benignitatis tuæ, clementissime Pater, recipe me in gratiam tuam, & dimittit omnia peccata mea.

9. Da mihi Domine fortis, & patiens tantam contritionem, quantum scis deberi peccatis meis. Peccavi, miserere mei.

10. Hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas: hic me castiga, & noli in futurum reservare malam mea.

## DECAS V.

1. **P**eccavi super numerum arenae maris; indignus sum, Domine, miserationibus tuis, sed misericordia tua superat sceleram meam.

2. Nonnè dixisti, Domine, gaudium esse in celo super uno peccatore penitentiam agente? exple igitur hoc gaudium in celis de me.

3. Tu Domine, qui non vis in mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, largire mihi vitam, quam destituor.

4. Venistine Domine, ut justos traheres a te, an ut peccatores? Si peccatores? ecce me maximum omnium, trah me ad te.

5. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniuritatem meam.

6. Asperge me Domine sanguine tuo, & super nivem dealabor.

7. Cor mundum crea in me Deus, deterfis fordibus animæ meæ.

8. Redemptor animæ meæ, quamdiu avergis faciem tuam à me, & non succurris gemitus?

9. Ecce me filium prodigum, & prodigo deteriorem: miserere Pater, & dona me annulo, & veste, & dignum fac amplexu tuo.

10. Non sit frustra pro me fusus sanguis tuus, dulcissime Salvator, sed in salutem, & vitam æternam.

## DECAS VI.

1. **Q**uousque non mederis vulneribus meis medicorum peritissime, & clementissime Jesu Christe? Ecce cœcus sum ad videnda, quæ recta sunt, claudus ad preces, paralyticus ad opera bona: miserere, & fana me.

2. Sanguine tuo medere mihi Domine, & cura vulneribus tuis vulnera mea.

3. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.

4. Ecce ego servus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

5. Non mereor filii nomen, & tamen tu pater es: semper sis, ut semper sim filius.

6. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Utinam non perirem in insipientiâ meâ.

7. Dixi, confitebor adversum me in iustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

8. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

9. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.

10. Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in pulvorem reduces me.

## DECAS VII.

1. **N**on intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Misericordiâ indigo, pacem quaro, non judicium.

2. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.

3. Ostendo tibi Pater immania delicta mea, quæ libentiùs occultarem, si possem, & oblitare sanguine cordis mei. Arque utinam aboleantur una gutta sanguinis dilectissimi Filii tui, Redemptoris mei, ne appareat coram te foeditas mea.

4. Heu me, Domine, quia peior Dæmonibus sum; & in naturâ quidem manifestum est, in moribus etiam fateor, nam video plura in me peccata, quam in illis.

5. Confiteor tibi, Deus meus, dedecora mea in laude tuâ: recolo coram te scelera mea, non quod ea amem, sed ut amem te lumen oculorum meorum; & fontem misericordiarum.

6. Pu-

6. Purissime & sanctissime Deus, malo milles mori, quam te vel levissime offendere.

7. A nullo hoste magis timeo, quam a meipso. Quis me custodiet a meipso? Non utique ego. Nisi enim tu custodieris me, fufra ego vigil ad mei custodiam.

8. Veni Domine ad me, quia longè recepsi a te. Doce me venire ad te, non enim possum, nisi tu, qui es via, doceas me.

9. Dilector peccata mea, Deus meus, corde salvatoris mei: Sicut cor Jesu ea flevit, ita ea ploro & abominor.

10. Quis mihi det, ut sit magna velut mare contritio mea, ex quo lachrymarum flumina exant, & in illud intrent, ut iterum ac perenniter fluant?

## D E C A S VIII.

1. O ubi estis lacrymæ, ubi dolores? Deserite omnes, & in me tot scelerum reum agminatum irruite.

2. O quam bonum erat mihi, si natus non fuisset: neque enim vitam mihi dedisti; ut te offendemur Deus meus.

3. O Sol mundi oculæ, qui metries peccantem aspexisti, urinam me deinceps non nisi dolentem, & lugentem aspicias.

4. Contremiscite omnes artus mei ad horribilium nomen peccati. Et vos omnes creature vindicate in me creatoris offensam.

5. O qualem Deum offendì, quam amabillem, quam amantem mei, Deum dilectionis, beneficentie, & bonitatis!

6. Quid iniquitatis inveni in te, o bone Jesus, ut tam crudeliter, tam impiè agerem tecum?

7. O si quod factum est, possem infectum redere! o si tempus præteritum revocare! quam libenter cum perditâ innocentia vitam commutarem!

8. Pœnitit me peccasse Deus meus, semperque pœnitit: & si possem, infinito dolore dolerem, quod offendem te.

9. Convertere Domine, & eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.

10. Vide Domine afflictionem meam amaram nimis, quia non est qui auxilietur mihi, nisi tu Deus meus.

## D E C A S IX.

1. Siccine permittis, Domine, me indignissimam creaturam tuam à terrâ sustentari? o quanta est bonitas, & misericordia tua!

2. Placare, Domine, & ostende mihi sernum vultum tuum.

3. Ecce Deus tuus, anima mea, ecce qui dedit peccata tua: vide quanta pro te pertulit, quanta charitate te diligit: cave nè unquam ab eo discedas.

4. Hoc unum à te peto Domine mi, exaudi me, ut non peccem, ut cognoscam, & faciam voluntatem tuam.

5. Veni Domine in cor meum, fac flagellum de funiculis, & ejice ab eo omnes profanantes domum tuam.

6. Da mihi, Jesu benignissime, unam ex tuis lacrymis, quas pro me uberrimè effudisti, ut eam offeram Patri tuo in satisfactionem pro peccatis meis.

7. Recipe fugitivum tuum, Clementissime Pater, pateat mihi pulsanti janua tua, accipe me fugientem ab inimicis.

8. Mortifica & avelle à me quidquid displacebit tibi: vivifica, & auge in me, quod tibi placet, tu qui mortificas, & vivificas.

9. O Pater amantisime, si vis potes me mundere. Sacra animam meam, quia fateor me peccasse.

10. O si omni vitio carerem! o si sensus ab illicitis objectis chiberem! o si torus compositus intus & foris esset! Quando, quando ab omni labore purus ero? Quando ita expurgatus, & ordinatus, ut nihil appareat in me, quod intuituum oculos possit offendere? Adjuva me Domine Deus meus, & peccatricis animæ meæ ablue fordes.

## C A P U T XII.

*Pia desideria ad usum Proficientium.*

A nima, quæ à Deo aberraverat, postquam rediit in viam bonam, similis est filiis Israël, quos Dominus in manu fortii de servitute Ægyptiacæ liberavit. Sicut enim illi egredi de Ægypto in terram fluentem lac & mel, duce Moysè, progressi sunt: ita anima ad ulteriora procedere debet; contemptis hostium tentationibus ad redditum in Ægyptum sollicitantibus, quia Dominus pro nobis pugnat, & adjutor noster est;